

Ruggero, conte di Tricarico

L 27

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Ruggero, conte di Tricarico

L 27

1188-02

Signum proprie manus domni Rogerii Dei et regia gratia Tricarici comes. # Signum proprie manus domni Iacobi filii domni comitis. In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo centesimo octogesimo octavo. Mense februario, indictione sexta.

Quoniam ecclesias Dei maxime in quibus divina officia celebrantur et pauperes Christi recreantur nos exaltare et ad meliorem statum reducere pro possibilitate nostra oportet, sicut ex evangelicis preceptis accepimus: honora dominum de tua substantia. Id circo nos Rogerius Dei et regia gratia Tricarici comes profitemur bona nostra voluntate, presencia nostrorum bonorum hominum testium subscriptorum, pro salute nostra et remissione anime patris et matris nostre et quondam uxoris nostre comitis Roagie et omnium predecessorum nostrorum, ecclesie Sancte Dominice, que est in tenimento nostro Occiani et suffraganea de monasterio Cave, viginti homines exceptis de hominibus terre nostre, requisitione Alexandri de Montorio, tunc temporis baiuli de monasterio Cave in ea recipere et perpetualiter habitare. Ita quidem ut ipsi homines et heredes eorum de necessariis terre nostre rebus videlicet de lignis, aqua et herba, sine dapnis ab eisdem illatis, sicuti homines nostri de Occiani percipiant, sine contrarietate vel cuiuslibet molestacione, et ut nullus possit eos ad iusticiam advocare nec a quolibet distringatur iustitiam facere, nisi ab ipsius predictae ecclesie priore, excepto defectu prelati eiusdem ecclesie. Quod si prelatus ipse defecerit ad iusticiam tenendam, tunc sint conveniendi in curia nostra. Tandem volumus ut fidelitatem nobis et heredibus nostris faciant, salva ordinacione domini nostri

regis et heredum suorum adque precepto secundum suam dispositionem. Et ut hec nostra concessio et constitucio omni tempore firma permaneat, signum Dominice crucis in capite huius birivilegi manu propria depinximus, ut nec nos nec nostri heredes nec quilibet alius successor noster disrumpere aud evacuare hoc quod prelegitur presumat. Quod si hoc disrumpere vel minuere seu evacuare temptaverit, conponat eidem ecclesie libras auri decem, totidemque in puplico, donacione et concessione nostra sicut prelegitur perpetuo manente, et hoc brivilegium ad securitatem prefate ecclesie Sancte Dominice Leonem nostrum Tricarici curialem et puplicum notarium scribere et bulla nostra tiparia inprimi iussimus

Signum proprie manus domni Iohannis Averse senescalci domini comi # Signum proprie manus W(ilielmi) de Tiano # Signum proprie manus domni Rogerii Tortemanus # Signum proprie manus Eustasii camerarii tunc temporis castellini # Signum proprie manus domni Rogerii de Cociano.